

hæreticis Albigensibus semel, iterum ac tertio in ignem coniecta, semperque illæsa.

Seculum XIV.

1. Qui Pontifices rexere Ecclesiam?

193. Bened. XI. ad 1304		198. Inocent. VI. ad 1362
194. Clemens V. 1314		199. Urbanus V. 1370
195. Joan. XXII. 1334		200. Gregorius XI. 1378
196. Bened. XII. 1342		201. Urbanus VI. 1389
197. Clemens VI. 1352		202. Bonifacius IX. 1404

2. Quid de his Pontificibus summatim dicendum?

Omnes doctrinâ zeloque animarum, plerique etiam vitæ sanctimoniâ præstabant, quos inter Benedictus XI. (re ipsa X. cum Joannes Mincius, qui A. 1058. per menses aliquot Pontificatum, noménque Benedicti X. sibi arrogabat, Pseudopapa fuerit) pluribus à morte miraculis claruit. Clementi tamen V. vitio vertitur, quod Philippi IV. Gallix Regis inductu sedem Pontificiam Româ Avenionem transtulerit, ubi annis amplius septuaginta, quos Itali cum captivitate Babylonica comparabant, Romani Pontifices quasi peregrè agebant, magno rei christianæ, ipsiusque adeò Gallix detrimento. Statuerat quidem Urbanus V. sanctitate & miraculis clarus, sedem Pontificiam Romam transferre, sed morte præreptus id negotii Gregorio XI. successoris suo, virtute pariter & doctrinâ eximio, relinquere cogebatur. Huic ritè successit Urbanus VI. Neapolitanus, qui, cum esset justitiæ, temperantiæ aliarumque virtutum, ac disciplinæ potissimum Ecclesiasti-